In Satiras Horatianas Adversaria,

Quorum Partem Primam

Venia Ampl. Ord. Philosoph. Lundensis

Pro gradu philosophico

p. p.

OLAVUS JACOBI
Phil. Cand. Gothob.

In Auditorio 1:mo Die XXV Mens. Maj. MDCCCLXVII.
H. A. M. S.



Lundæ 1867,
Typis expressit Haqu. Ohlsson.

Θαρρεῖν, ὦ Θεαίτητε, χρὴ τὸν καὶ σμικρόν τι δυνάμενον εἰς τὸ πρόσθεν ἀεὶ προιέναι.

Plat. Soph.

De Horatio poeta ejusque operibus multi multa scripserunt iique viri doctissimi, ut et actum agere et vix operæ pretium facere fortasse videar, si carmina quædam Horatiana denuo tractanda susceperim. Neque tamen, me judice, ita omnia examinarunt perscrutatique sunt viri illi præstantissimi, ut nihil omnino aut in ipso contextu, quem dicunt, corrigendo, aut in sententiis accuratius exprimendis meliusque interpretandis effici possit. Attamen hoc tempore non in animo est omnia, quæ, quibus diligentius studeatur, digna sint, tractare, sed eos solum locos præcipue investigare, qui mihi quidem, Horatium legenti, uberiorem quandam visi sint præbere disputandi materiam.

Satiram, genus illud poesis vere Romanum neque umquam, ut cetera fere, e Græcia in Latium translatum [1]), haud raro scripserunt *Satyram*, falso nimirum Satiram Romanam a Satyrica Græcorum fabula esse petitam cum eaque artiore cognationis vinculo fuisse conjunctam sibi persuadentes. Quæ quidem opinio quam falsa sit, ut alios omittam, jam satis ostendit Casaubonus [2]). Composita igitur, ut par erat, controversia illa de nomine *satiræ* deducendo, id inter se consentiunt viri nostræ ætatis docti, *satiræ* appellationem a *satur* adjectivo vel, ut planius dicam, a *lanx satura* (lanx variis multisque primitiis referta. Diom. Lib. III pag. 483 ed. Putsch.) duxisse originem. Sunt autem duo apud Romanos discernenda satiræ genera, quorum alterum vetustius appellare velim, recentius alterum. Quod ita esse plane et diserte testatur Diomedes grammaticus (Lib. III pagg. 482 extr. sq.): "Satira dicitur carmen apud Romanos *nunc* quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archææ Comediæ charactere compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius; at (et?) *olim* carmen, quod ex variis poematibus constabat satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius"; et Quintilianus (Lib. X, 1, 93—

---

[1]) Quint. Inst. Orat. X, 1, 93. Conf. Opusculum nostrum "de Pervigilio Veneris" pag. 21.

[2]) Isaaci Casauboni de Satyrica Græcorum Poesi et Romanorum Satira Libri duo. Parisiis MDCV. Pagg. 28 sq.

95): "Satira quidem tota nostra est, in qua *primus* insignem laudem adeptus Lucilius . . . . . *Alterum* illud etiam *prius* satiræ genus, sed non *sola* carminum *varietate* mixtum, condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus". Quæ omnia si diligentius consideraverimus, facile apparebit, Ennium vetustioris illius satiræ fuisse auctorem, recentioris Lucilium, quem Horatius (Sat. I, 10, 58) *inventorem* apellat illius carminum generis, in quo ipse versaretur [1]).

Hæc autem si est hujus vocabuli deducendi ratio, forsitan quispiam jure quærere sibi videatur, quid sit, quod *satira* scribatur, non *satura*. Cui quidem quæstioni, quamquam per se non est contemnenda, facile est respondere. Sæpissime enim videmus apud optimos quoque latinitatis scriptores formas *optumus* et *optimus*, *æstumo* et *æstimo* cet. alteram altera commutari (conf. Casaub. l. l. pag 318). Neque magis mirandum, nomen subst. *concretum (satira = laux plena)*, ut ajunt grammatici, factum esse *abstractum*, id quod et veteribus in linguis sæpe fieri videmus et recentioribus.

Satira I, 1.

Editores et interpretes, in quibus Orellius, Ritterus, Dillenburgerus, alii, quod Horatium opinantur hac satira nihil aliud egisse nisi ut ejusmodi homines vituperaret, qui sua sorte numquam essent contenti, aliis semper inviderent, cavendum existimo, ne iis temere assentiamur. Hi enim quum, ut modo dixi, id unum secutum esse Horatium dicant, ut invidiam et μεμψιμοιρίαν perstringat eorum, qui, sua sorte non contenti, alienæ semper invideant, non totam, ut ita dicam, viderunt veritatem. Hoc enim vitium,

---

[1]) Conf. Lysandri Hist. Litt. Rom. pagg. 256 sq.

quo nihil fere magis est vulgare, nihil habet ridiculi, nihil contra hominum consuetudinem. Quæ est igitur magna illa perversitas eorum, quos h. l. perstringit poeta et illudit? Cui quæstioni sic breviter respondendum puto: Ex tota fere satira et præsertim ex v. v. 15—19 intelligi potest, Horatium jocosa ratione eademque severa levem eorum animum castigare atque inconstantem, qui de sua sorte acerbe querantur, aliorum laudent fortunam, mutata autem sorte et rerum statu, aliam vitæ conditionem accipere nolint [4]).

V. 2 — fors) Fors numen nunc apud veteres scriptores a Fortuna distinguitur [5]) nunc cum illa in unam deam, quæ est *Fortuna Fors*, conflatur [6]).

— *illa)*In codicibus nonnullis legitur *ulla*, quod sine justa causa probarunt nonnulli. Quam scripturam his maxime ductus rationibus rejiciendam existimo: 1) de certa quadam h. l. agitur sorte, non de quavis 2) post *quam* relativum et sequens adjectivum *contentus* necessarium est demonstrativum perspicuitatis causa, 3) frequens est apud scriptores ejusmodi demonstrativi repetitio: Liv. I, 58: *Cultrum, quem sub veste abditum habebat, eum in corde defigit.* I, 49: *Octavio Mamilio .... — ei Mamilio filiam nuptum dat.* XXV, 27: *in haud magna oppida .... eo et commeatus ... comportabant* cet. Cic. Off. II, 6: *male enim se res habet, quum, quod virtute effici debet, id tentatur pecunia;* alib.

Jam si de ipsa loci intelligentia quæritur, fortasse non plane respuenda est hæc Acronis scholiastæ explanatio: "Breviter duas sectas tangit. Nam cum dicit *ratio*

---

[4]) Conf. "In Satiras Quinti Horatii Flacci Commentatio scripsit J. G. Ek. Lundæ 1847."

[5]) Cic. Legg. II, 11.

[6]) Ovid. Fast. VI, 778—84 ed. Gierig.

Stoicos tangit; cum *sors* Epicureos. Stoici enim dicunt omnia ratione fieri, Epicurei fortuito".

V. 3 — laudet) *ὀλβίζει, μακαρίζει*, ut v. 9 Acr. schol. "beatum appellat". Est autem, ut facile intelligitur, ex illo *nemo* substantivo intelligendum *unusquisque* vel *quisque*, quod subjecti loco ad *laudet* referri debet. De quo Latinorum loquendi usu conf. G. T. A. Kruegeri Gram. Lat. § 660, 1). Rudimanni institut. Gram. II pag. 361. Madv. Gram. Lat. § 462 b) Seyff. ad Læl. pag. 371 sq.[7]).

V. 4 — gravis annis) Ita codices ad unum omnes et Acro scholiasta. Hanc codicum scripturam et inepte et inutiliter in "gravis armis" primus commutavit Bouherius eamque conjecturam frustra defenderunt Wolfius, Reisigius, Obbarius, Weisius, alii. Intelligendus enim est miles veteranus, qui, identidem mercatoris fortunæ invidens, etsi missionem accipere poterat militiaque liberari, tamen, sperans fore, ut aliquando et ipse agro donetur, usque militet. Ei autem militi, quippe qui tot per annos armis gerendis assueverit, quam non conveniant *gravia* arma, apertum est. Accedit particula *jam* Bouherii conjecturæ repugnans, et locus ille Cic. Fusc. II, 16, 37, ex quo discimus, arma Romanis militibus non visa esse graviora, quam corporis membra. Ex his aliisque rationibus facile, me quidem judice, apparet, Horatium, poetam illum vere Romanum, vix *"gravis armis"* scribere potuisse.

V. 14 — valent) Verba, quæ alicujus rei facultatem exprimunt, poetæ cum infinitivo conjungunt, ut hoc ipsum verbum Hor. Sat. I, 9, 39. II, 7, 87. Od. I, 34, 12. Ep. II, 1, 200. Epod. 5, 87. Lucret. I, 109. Conf. Id. I, 356. Id. I,

---

[7]) Conf. Cic. Fin. I, 18. Tusc. V, 40. Hor. Epod. 5, 87, alibi.

[8]) Conf. Franciscus Josephus Hester: De infinitivi natura et apud Horatium usu. Monasterii MDCCCVIII. Pag. 39.

Hugo Merguet: De Usu Syntactico Infinitivi Latini, Maxime Poetico. Regimonti MDCCCLXIII. Pag. 29.

602. III, 1085. IV, 481. V, 58. VI, 78. Virg. A. II, 491. Buc. 9, 38. Tibull. IV, 1, 55. Stat. silv. I, 1, 41. Ib. II, 2, 41. al. *).

V. 20 — merito) Iratus et *inflet* adeo arte sunt conjungenda, ut adv. *merito* ad utramque vocem referendum videatur, id quod constructio ἀπὸ κοινοῦ appellari solet, qua dicendi figura haud raro usus est Horatius. Cujus schematis vis et natura ea est, ut vocabulum, quod ad duo orationis membra pertineat referendumque sit, alteri tantummodo reservetur in eoque ponatur. Brevem hujus rei explicationem invenias apud Zumptium (Gram. Lat. Berolini 1860 § 358) et in Reisigii schol. pag. 414 *). Est autem hujus figuræ usus non ex ellipsi, ut ajunt, repetendus, sed ex sola verborum collocatione.

V. 24 — causæ est — quin) Hæc vocabula quoniam idem fere exprimunt atque *nihil impedit,* non est, quod *quin* particulam usurpatam esse miremur. De qua re conf. Krueg. Gr. Lat. § 575 an. 1.

V. 24 — ut qui jocularia) tractat vel *narrat,* vix cum Rittero, Dillenburgero, aliis intelligendum *percurrit;* nam *percurrere* longe aliam habet significationem, quam quæ h. l. apta sit. Conf. Krueg. Gr. Lat. § 660, 2).

V. 29 — Perfidus hic caupo) Complures editores, ut cetera multorum corrigendi experimenta omittam, quum h. l. legant: *fervidus hic campo miles,* vereor ne errent. Primum enim non spernenda est optimorum et plurimorum codicum auctoritas; deinde non cum Cl. Weisio quærendum, quid sibi velit *caupo* et quare *perfidus* idem dicatur.

Caupo subst. quid h. l. esset, egregie docuit prof. J. G. Ekius in libello, quem paulo supra jam laudavi. Quam

---

*) Conf. Dissen. ad Tibull. I, 1. 51: "Amant enim poetæ verbum duobus membris orationis commune in principio secundi ponere, licet oppositio in substantivis sit et alterum substantivum videatur priorem locum occupare debuisse" cet.

ejus argumentationem legentibus vix persuaderi non poterit, *caupones* esse eos, qui, teste Cicerone, a mercatoribus mercentur, quod statim vendant quique nihil proficiant, nisi admodum mentiantur. (Cic. Off. I, 42) [1]. Inde vides quam non ab hoc loco alienum sit scribere *Perfidus — caupo;* præsertim quum satis constet, caupones illos, quos "krämare", "småhandlare" dicunt Svecani, quo merces facilius vendantur, admodum mentiri; quod etiam apud Romanos non aliter fuisse et indicant verba illa Ciceronis supra laudata et testatur Horatius ipse Sat I, 5, 4.

V. 33 — magni formica laboris) Genitivus qualitatis, ut grammatici ajunt, qui nisi apud nomina propria cum quadam generis notione conjunctus non usurpari solet, insolentius h. l. appellativo ipsi additur.

Poetæ enim illam generis notionem, quam modo dixi, interdum omittunt, ut Hor. Od. I, 36. 13. III, 9, 7. Epod. V, 41. Sat. II, 8, 84. Ovid. Met. XIV, 252. Neque tamen hic genitivi usus adeo est singularis poetarumve proprius, ut non in prosa etiam oratione et quidem apud Ciceronem ipsum reperiatur. Vide Cic. ad Fam. IX, 26. Brut. 83. Liv. XXII, 60. Tac. An. IV, 29 [2]).

V. 35 — incauta futuri) Incautus adjectivum cum genitivo conjunctum apud meliores latinitatis scriptores, quod sciam, non reperitur; unde concludendum videtur, aut genitivum h. l. per zeugma, ut dicunt, esse positum, i. e. et ad *ignara* esse referendum et ad *incauta*, aut illud *incauta* iis adnumerandum esse adjectivis, quæ, affectus animi

---

[1]) Conf. Horatsens Satiren — von Ludvig Döderlein. Leipzig 1860. Pag. 141.

Des Q. Horatius Flaccus Satiren — von C. Kirchner. Leipzig 1855. Pagg. 8, 9.

[2]) Conf. Die Lehre von dem Gebrauche der Casus in der lateinischen Dichtersprache. Bearbeitet von F. A. A. Bach. Gotha 1848. Pag. 35. Kruegeri Gram. Lat. § 399, annot. 2.

varios significantia, cum genitivo conjungunt poetæ; cujus generis exempla apud Horatium inveniuntur haud pauca: *Avarus*, A. P. 324. *Bibulus* Ep. I, 14, 34. *Timidus* A. P. 28. *Securus* Ep. II, 2, 17. *Lassus* Od. II, 6, 7. alia [3]).

V. 42 — defossa) pro *effossa* per hypallagen. Signum autem interrogandi admodum vereor ne post *terra* subst. delendum sit et in fine sequentis versus ponendum, id quod ab editoribus neglectum esse admiror.

V. 50 — viventi) Usurpandus fuerat genit. *viventis;* neque tamen est cur offendamur: aut enim poeta *viventi* et *referat* minus arte connexa voluit, aut, ut placet Dillenburgero, *referat* cum dativo commodi, qui dicitur, satis insolenter h. l. conjungitur [4]).

V. 52 — haurire) Infinitivum h. l. usurpat Horatius pro participio futuri passivi, ut Od. I, 26, 3: *tradam portare ventis tristitiam et metus* (tradam ventis portandam tristitiam et metus). Non multo aliter poeta infinitivum act. cum verbo censendi conjunxit Epist I, 2, 9: *Antenor censet belli præcidere causam.* Quæ tamen verborum consociatio prægnanti, ut ita dicam, illius verbi, quod est *censere,* significatione explicanda est. Nam sicut *videri* sæpe ita usurpatur, ut idem valeat, ac *æquum* vel *bonum videri,* ita verbum censendi h. l. idem valere videtur, quod *æquum censet.* Quamquam fieri potest, ut Horatio obversatus sit is Græcorum loquendi usus, quo verbis *ἡγεῖσθαι, δοκεῖν,* similibus eandem subjecerunt notionem Græci scriptores [5]).

---

[3]) Conf. F. A. A. Bach. l. l. pag. 41. Rudim. Inst. Gram. II, pagg. 73—78.

[4]) Eodem modo rem expediendam censent G. T. A. Kruegerus (Gram. Lat. § 348 annot 2) et Zumptius (Gram. Lat. 449 annot. 2 extr.)

[5]) Conf. quæ de hac re disputat Heindorfius ad Plat. Prot. pag. 343.

V. 86. Miraris — si) Verbum illud, quod est *mirari*, apud Horatium aliosque poetas haud ita raro sequitur particula *si*, interrogativa utens significatione, i. e. ibi *si* adhibitur, ubi *quod* erat usurpandum idque eodem fere modo, quo apud Græcos dicitur *θαυμάζω εἰ* pro *θ. ὅτι.* De qua re vide, si placet, G. T. A. Kruegeri Gram. Lat. § 604 annot. extr. C. G. Zumptii Gram. Lat. § 354. Conf. Buttmanni Gram. Græc. § 139. G. annot. 3. C. W. Kruegeri Gram. Græc. I § 65, 5, annot. 7. Apud prosæ orationis scriptores ejusmodi *si* particulæ usus multo artioribus circumscribitur finibus.

Vetus inter Horatii interpretes est controversia et ne nunc quidem satis composita, quomodo vel scribendi sint vel intelligendi versus 86—90. Equidem ita scribo et interpungo:

Miraris, quum tu argento post omnia ponas,
Si nemo præstet, quem non merearis, amorem?
At si cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis servareque amicos,
Infelix operam perdas, ut si quis asellum
In campo doceat parentem currere frenis.

Ad hos versus recte explicandos ante omnia necesse est decernere, quomodo v. 88 incipere putandus sit. Nam inter quatuor scripturas h. l. fluctuant et codices et editores: *an si*, *an sic*, *ac si*, *at si;* quarum duas satis erit breviter examinandas suscepisse: reliquas enim duas, quæ sunt *an sic* et *ac si*, vix quisquam jam defendet.

1) An si.

Grammatica quidem ratio non impedit, quominus versus 88, ab *an si* incipiens, cum antecedenti illo verbo, quod est *miraris*, conjungatur, ut duplex exsistat interrogatio:

Miraris...? an... infelix operam perdas? Quum autem apertum sit, non duo h. l. expressa esse cogitata, quorum hoc excludat illud, sequitur, duplicem eandemque disjunctivam interrogationem non esse sumendam. Quæ quum ita sint, restat, ut illud: *an... infelix operam perdas* eam statuamus esse interrogationem, qua reprehendatur et negetur id, quod quis dixerit probatumque voluerit. Cui quidem quæstioni, quippe quæ, ut dixi, opponatur iis, quæ jam ut vera et certa dicta sint eaque improbet, *negative*, ut ita dicam, respondendum est vel, ut aliis utar verbis, pro ejusmodi interrogatione enunciatio negans substitui potest. De quo particulæ *an* usu diligenter et copiose disputat G. T. A. Kruegerus in Gram. Lat. § 516, unde ad rem, in qua versamur, explicandam hæc exempla nobis liceat mutuari: "Quasi vero... non necesse sit (= necesse est) nobis Gergoviam contendere. *An dubitamus* quin... Romani jam ad nos interficiendos concurrant". Cæs. B. G. 7, 38. Quod exemplum sic fere interpretandum existimo: si Gergoviam contendere necesse nobis esse non concederemus, non exploratum haberemus et certum, Romanos ad nos interficiendos concurrere; atqui hoc quam maxime est apertum. Quod si recte disputavimus, facile intelligitur, illud *an dubitamus* pro eo positum esse, quod est: *non enim dubitamus* vel *non dubitandum est;* unde fit, ut illud *Gergoviam contendere* necessarium sit. At potest etiam interrogatio, de qua recte intelligenda h. l. mentionem facio, rhetoricæ, quam dicunt, interrogationis formam recipere: "Si servitus sit, sicut est, obedientia fracti animi et abjecti et arbitrio carentis suo, *quis neget* (= nemo negabit) omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos esse servos? An ille mihi liber, cui mulier imperat, cui leges imponit", cet.? Cic. Parad. 5, 2. Quarum interrogationum quum posterior negetur et improbetur necesse sit, sequitur, priorem esse affirmandam.

Ejusmodi autem interrogatio, quam diximus rhetoricam, h. l. inest in verbo illo *miraris?* i. e. non est, quod mireris. Quare si posteriorem hujus loci Horatiani interrogationem improbaveris (quis autem non improbabit?), affirmanda tibi erunt ea, quæ posteriore continentur, i. e. *miraris* confitendum erit idem esse atque: *est quod mireris.* Ejusmodi autem hujus loci interpretationem esse et deridendam et absurdam, nemo non videt.

Quibus expositis si, ut videmur, scripturam *(an si)* Bentleyo, Orellio, aliis probatam, rejiciendam esse ostendimus, jam nobis inquirendum est, num meliore nitatur auctoritate et argumentis illud

2) **At si.**

Jam ut verba illa *nullo labore* ad relativum enunciatum *quos tibi dat* referenda esse nullo argumento supra posuimus, sic h. l. in scriptura illa *At si* consideranda videndum est, possintne eadem illa vocabula conjungi cum *retinere velis*, id quod fieri oportere contendebat F. A. Wolfius. Quod si fieri posset vel potius deberet, enunciatum illud *At si cognatos nullo labore retinere velis* non esset nisi affirmatio et hæc fere exsisteret sententia: Miraris si tibi, divitiis omnia postponenti ac ne minimam quidem ad homines conciliandos pecuniæ jacturam facienti, amorem, quem non merearis, nemo præstet? At hoc tibi minime mirandum: nam si cognatos, quos natura tibi amicos dat, sine ullo tuo labore retinere velis amicos, infelix operam perdas, i. e. operam sine dubio perdes. Ejusmodi huic loco subesse sententiam opinatus est, ut jam dixi, sagacissimus ille vir F. A. Wolfius eamque interpretationem his locis Horatianis firmatam duxit: Sat. I, 5, 72: "Pæne macros, arsit, dum turdos versat in igni." Sat. II, 1, 60: "Quisquis erit vitæ, scribam, color" .... Quibus locis etiam addi potest Sat. II, 3, 211:

"Ajax quum immeritos occidit, desipit, agnos." Istis Horatii locis hyperbaton, quod dicunt, ejusmodi est, ut id verbum finitum, quod enunciationem efficiat primariam, secundariæ insertum inveniamus (verba dico *arsit, scribam, desipit)*, hoc autem loco non item. Si enim illud *nullo labore* ad enunciationem primariam retuleris, enunciationis secundariæ subjectum, quod est *natura*, inter membra suæ ipsius enunciationis primariæ interpositum esse apparebit. Alia igitur hujus loci est natura, quam eorum, quos ad suam interpretandi rationem defendendam laudavit Wolfius. Quod si ita est, violentius esse videtur ejusmodi hyperbaton et magis singulare, quam quod Horatio obtrudere ausim.

His igitur ad viam interpretandi quasi muniendam præmissis ad veram loci sententiam plenius explicandam progrediar. Quod ut aliquo modo fiat, facere non possum, quin eum quoque paucis refellere coner, qui, quantum scio, *at* improbans, ex recentioribus primus *an* commendavit *). Atque is quidem rectissime docuit (id quod ego etiam supra conatus sum), quam inepte verba *nullo labore* conjungerentur cum illis *retinere velis servareque amicos;* sed *at* damnavit, quia hæc non videbat aliter explicari posse, nisi ut serio ab Horatio dicta acciperentur, quo facto non solum, ut ipse putabat, ultima *ut si quis asellum in campo doceat parentem currere frenis* inepta sunt, sed etiam priora. Neque enim hoc demonstrare vult Horatius, eum, qui sola avaritia ducatur, cognatorum amorem retinere non posse (satis enim hoc monuerat proximis verbis superioribus) sed e contrario avarum, si paulum de avaritia remittat (= *si retinere velis)*, facillime hoc as-

*) Quint. Horatius Flaccus ex recensione et cum notis atque emendationibus Richardi Bentleji. Amstelædami MDCCXIII. Pagg. 362 sq. Ubi ille non inepte de hoc loco: "Salebrosus sane locus, unde haud facile est pedem inoffensum referre".

secuturum. In commendando autem illo *an* ductus est Bentlejus falsa opinione de conjunctione, quam inter hoc et superius enunciatum intercedere oporteret. Ita enim hæc explicavit: ... "miraris, quod te non ament cognati, quos tu nulla benignitate conciliare tibi studeas? An potius nihili facis a cognatis amari et omne, quod ad demerendos eos impendi debet, male locatum et perditum iri putas? quasi si asinum traderes magistro, qui in campo eum instituat". Tollitur igitur altera interrogatione prior, ut, si hæc verum efferat, non miretur avarus se non amari. At id plane contra naturam hominum: id enim ipsum avari et similium hominum proprium est, ut, quamvis nihil fecerint, quo amorem proximorum retinerent, tamen eum sibi non præstari vehementissime mirentur et querantur. Non igitur ita quæsivit Horatius, quasi hoc dubium putaret, sed ut sibi hoc mirum et indignum videri significaret, quod miraretur avarus. Deinde omnes interpretes, quoquo modo hæc scripta putarunt, in eo, me judice, errarunt, quod idcirco *operam perdere* avarum ab Horatio dici statuerunt, quia cognatos retinere et servare amicos non posset. Atque est hic sane maxime pervagatus horum verborum usus, ut aliquis id, quod studeat, assequi negetur. At inepte interrogaret Horatius, num avarus, si vellet, cognatorum amorem retinere non posset, quum id se posse ne avarus quidem ipse negaret, neque ea huic causa esset cognatos negligendi, quod illud desperaret, sed quod amorem eorum non tanti putaret, ut aliquid de avaritia remitteret. Neque rectius irridens (ita enim hæc accipienda esse, si *at* legatur, dudum intellectum est) hoc affirmaret Horatius, facillima opera avarum cognatorum amorem assecuturum, quum hoc ne avarus quidem, nedum alii ignorarent. Alia eaque longe exquisitiore ratione hic usus est Horatius, nempe ea, qua operam perdere dicitur, quicumque suscipiat, quod operæ pretium

non sit, qui, etiamsi id, quod suscepit, effecerit, tamen nihil effecisse videatur. Quare longe gravissime hæc acerba irrisione ex animo avari dicuntur: si cognatorum amorem retinere velis, videris tibi infelix laborem suscipere in re, quæ nullo labore digna sit. Atque hæc aptissime per *at* particulam superioribus adjunguntur: stultissime miraris te non amari; at hunc amorem non tanti putas, ut eum retinere velis. Dixit igitur Horatius, ut nostræ explicationi convenit, de re difficili (difficilis enim avaro omnis opera videtur, qua pecunia non quæratur) et nullum operæ pretium allatura. Universam sententiæ vim, nisi quod de verbis *operam perdas* nihil monuit, bene jam explicavit Acro, cujus verba rectius scripta servavit comment. Crucq.: "At si cognatos tibi, quos natura concessit amicos, humanitate devinxeris, videris tibi ita operam perdere, ut ille, qui asino velut equo velit uti" [7]).

V, 92 — quumque) Hæc ut ingeniose sic prave in *quoque* primus commutavit Muretus, cujus conjecturam nonnulli amplexi sunt editores. Illud enim *quo* si cum *plus* comparativo conjunxeris, sententia huic loco plane repugnans evadet. Nam illa *quoque habeas plus* dicta putes necesse erit ex avari sententia ad perversam suam agendi rationem excusandam vel, si fieri possit, defendendam [8]). Perversa igitur foret ejusmodi hujus loci intelligentia. Atqui illud *quo* fortasse eo modo explicandum, quo vult Doederlinus, qui, Joh. Ad. Schæferi interpretationem laudans, illud *quo* pro eo positum esse dicit, quod est *ut eo plus* et hanc fere esse loci sententiam [9]): ut

[7]) Ut perspicias quomodo *Infelix* illud adjectivum versu 90 interpretandum sit, conferas velim Orellii "Analecta Horatiana", pag. 27 extr.

[8]) Conf. Kirchn. l. l. pag. 17.

[9]) "Nur die Cruquiana mit Muret bietet *quoquo* statt *cumque* allein richtig (?); nur muss man *quo* nicht als Relativum nehmen

tibi ipsi videaris esse ditior, minus paupertatem metuas, i. e. ne avaritia crucieris, avarus esse non debes. Præstantissimum sane hoc consilium et avarissimo cuique saluberrimum!

V. 94 — parto) Ablativus absolutus, quem dicunt, omisso pronomine *eo*, quod dicendi genus præter hunc locum usurpavit Horatius Sat. I, 6, 122 et I, 9, 36 [1]). Quamquam non nescio posteriore loco participium *vadato* pro dativo haberi et cum præcedenti *respondere* a quibusdam conjungi, id quod jam ideo videtur improbandum, quoniam in forensi lingua et judiciali *respondere* verbum sine dativo usurpari solet.

Versus 101 sq. plerique editores et quidem novissimi fere omnes hoc modo scribunt:

Quid mi igitur suades? Ut vivam Mænius? aut sic
Ut Nomentanus? Pergis pugnantia secum
Frontibus adversis componere. — —

Affirmari igitur ab Horatio putant hæc: *Pergis pugnantia secum frontibus adversis componere.* Quod falsum esse puto. Ubi enim sunt illa contraria, quæ antea composuerat ille, quem superiora a se quærere fingit poeta? Nam qui numquam incepit, is non dici potest *pergere.* Quum enim avarum ut finem quærendi faceret hortatus esset Horatius, ille contra quæsivit, num se dissolute et prodige vivere vellet. *Incipit* igitur contraria componere non *pergit.* Quam interpretandi difficultatem illi editores,

— — — — wie Kirchner thut, sondern durch *ut eo plus* erklären. "Um dich reicher zu fühlen, fürchte dich nicht vor dem Mangel an Reichthum; denn je kleiner der Maasstab ist, den wir an relativen Begriff *reich* anlegen, desto leichter fühlen wir uns reich". Doederl. l. l. pag. 143.

[1]) Conf. Zumptii Gram. Lat. § 647. Krueg. Gram. Lat. § 500. annot. 4.

quorum de hoc loco opiniomem falsam esse dixi, ita voluerunt evitatam, ut eam aut tacite negligerent aut nescio quam raram et singularem significationem h. l. verbo illi, quod est *pergere*, obtrudere conarentur. Nimirum Horatius, ut rem explicare coner, hominem illum præter duo luxuriæ exempla plura etiam prolaturum ratus hac interrogatione silentium ei imponit. Neque nullius sunt momenti quæ apud veteres nobis servata sunt veritatis vestigia. Nam apud Acronem, quamvis in multis falsus sit, legimus: *quare pugnantia contra se loqueris?* et apud Comment. Crucquianum: *interrogatio objurgatoria.* Præterea id quoque observandum, *componere* conjungendumesse esse cum iis, quæ proxime præcedunt *Frontibus adversis,* non cum *pugnantia* participio, ut falso explicat Acro scholiasta.

Jam restat, ut pauca dicam de versibus 108 sq., de quibus recte intelligendis explicandisque multa multi disputarunt viri docti. Atque codices quidem plerique præbent *nemon' ut avarus,* alii autem iique non pauci *nemo ut avarus.* Quarum scripturarum utra utri sit præferenda breviter inquiremus. Incipiamus igitur a nonnullis interrogationum exemplis, in quibus usurpatur illa dicendi formula, quæ est — *ne ut:* "Egone ut te advorsum mentiar mater mea?" (Plaut. Aul. 4, 7, 9). "Illine ut impune concitent finitima bella?" (Liv. IV, 2) [1]). His similes sunt eæ interrogationes, quæ ex *ut* et *ut ne* pendent: "Ut tegam spurco Damæ latus?" (Hor. Sat. II, 5, 18). "Ut ego nunc adolescenti thesaurum indicem" (Plaut. Trin. 3, 3, 21) ...? His autem similibusque interrogationibus quid exprimitur, nisi subirata quædam admiratio,

---

[1]) Conf. Madvigii Gram. Lat. § 353, annot. Krueg. Gram. Lat. § 571 2). De hoc quæstionum genere vide etiam Fredr. Braune: "De particula *ut* simplici et copulata". Lundæ MDCCCLXVI. Pagg. 16—20.

cui plane contraria cogitanda est responsio? Quare interrogationi illi: *nemon' ut avarus se probet?* sic fere respondeas necesse erit: "Quidni probet? Probabit certe." Ecce habes isto modo explicationem ut toti hujus loci intelligentiæ repugnantem sic per se absurdam. Neque melius negotium succedet, si quis aliter illud *nemone* defendendum susceperit, id quod conati sunt nonnulli interpretes.

Atqui, id quod hic fortasse occurrit, altera illa scriptura, quæ est *nemo ut,* quoniam, ut cetera omittantur, hiatu laborat, nonne aliquid et ipsa movet dubitationis? Audio. Tantum autem abest, ut iste hiatus tantam indignationem cuiquam injicere debeat, ut eundem aliis quoque locis iisque non paucis admiserit Horatius. Cujus rei hæc satis erit attulisse exempla: Od. I, 28, 4. II, 20, 13. Epod. 13, 3. 5, 100. Sat. II, 3, 137; alibi.

Cetera, quæ et hac de satira et de aliis quibusdam locis Horatianis annotata vellem, in aliud tempus necesse est differre.